



O Chuuinus in Bergensi monasterio non procul Magdenburgo monachum egit, atq; diligenter librorum lectione in virum eruditum evasit. Vnde eius loci abbas a fratribus electus est. Cum autem ibi optimè presideret, atq; interim Diethardus presul Hildesheimensis mortuus esset, ipse ex monasterio ad Episcopatum uocatus fuit. Huic uocationi ipse obediens magna diligentia ecclesiam eam administravit, atq; eius loci Canonicos suo exemplo in officio continuit. Cum autem illi frugalem uitā ducerent, nec dum tot opibus abundarent, ipse redditibus suis supputatis, Canonicis per sedecim dies festos in anno unum dari iussit,

ut in rebus diuinis obeundis eò alacriores essent. Postea se se Romam contulit, ut cum pontifice de quibusdam rebus conferret, rediens secum S. Epiphanius corpus (quod hactenus Ticini quieuerat) attulit, atq; multo auro ornatū in suo templo collocauit. Hoc modo summa pietate & eruditione instructus Hildesheimensem Ecclesiam per triginta annos administravit. Cum autem iterum de quibusdam rebus ambigeret, atq; ideo denuò Romam contendere, ne error aliquis inualeceret, in itinere obiit, anno noningentesimo octagesimo sexto. Crantz. Anon.